

IO. LUDOVICI
PRASCHII
FACETIAE

RATISBONAE
LITTERIS ET IMPENSIS
AUGUSTI HANCKWITZ
M DC LXXXIX.

PRAEFATIO.

Ex immensâ facietiarum, quae in libris prostant, multitudine paucas has excerpti ac delegi, quibus et viri oblectarentur condirentque colloquia, et pueri deliniti cum ingenium acuerent, tum Latinum instruerent sermonem. Ipsi etiam si convertere talia e Germanico in Latinum velint, amplissimam nanciscentur materiam in *Apophthegmatibus Zincgraeii*,¹ quae idcirco intacta ferme reliquimus, cum praesertim in omnium manibus versentur. Ex his eligi poterunt quae sunt lepidissima iuxta et honestissima. Nam auctor quidem opusculi et continuationis copiae magis quam delectui studuisse videtur: nec admittendae pro facietis ineptiae scurriles, quaeque vel non movent puerorum animos vel corrumpunt. Fabellarum etiam alibi commendatarum isti aetati iure hîc loci meminimus. Quae cum bifariam distribuuntur—in poëticas, quales sunt Ovidii, et vulgares, quales putantur Aesopi—utrumque genus illustrarunt duo liberti Augusti Caesaris (ipsius forsân instinctu) Hyginus atque Phaedrus. In his quoque circumspecto iudicio delectus haberi queat. Sunt enim certe perquam commoda horum fabulae, sed non adaeque omnes. De Phaedro tamen (qui simplicior est rebus, eoque aptior) merito dubitaveris an primis statim pueritiae profectibus conveniat. Quia enim constat metris, adeoque et numerum et sermonem poëticum propinat (etsi attenuatum fere sequitur) ne primordia studii puerilis turbet magis ac fatiget, quam erudiat, vereor. Nam poëticus sermo iudicium aliquod et profectum praevium (qui desiderari non potest a tironibus istis) postulat. Absternii² igitur fabulas hoc dispectu praetulerim. Sed non perinde omnes purae sunt et elegantes, sive argumentum spectes sive sermonem. Quare et hîc praeceptor eliget.

FACETIAE
EX HIEROCLE³

- I. Scholasticus natâre volens propemodum submersus est. Iuravit igitur non tacturum se prius lympham, quam natâre didicisset.⁴
- II. Scholasticus amico obviam factus dixit: “In somnis visum te allocutus sum.” Cui ille: “Aequo animo feres, quod non auscultavi.”⁵
- III. Scholasticus aegrotum, quem visebat, percunctatus est de valetudine. At illi facultas deerat respondendi. Iratus ergo obiurgavit hominem his verbis: “Spero et me aegrotaturum ac negaturum adventanti tibi responsionem.”⁶

¹ Julius Wilhelm Zincgref, *Facetiae Pennalium, Das ist, Allerley lustige Schuel Bossen auss Hieroclis...verdeutschet...* 1618. Ante Prâschium versiones Hieroclis Latinae factae sunt annis 1605, 1614, 1654.

² Scripsit Laurentius Absternius bibliothecarius in oppido Urbino librum cui titulus est *Hecatomythium* anno 1513.

³ Hierocles (vel Philagrius; qui fuerint ignoratur) corpus facietiarum quinto aut sexto saeculo scripsit.

⁴ Hierocles 2

⁵ Hierocles 5

⁶ Hierocles 34

IV. Scholasticus equum venditabat. Accedente igitur quodam et rogante dentitionem, “Quid dentes,” ait, “curas? Aspice ut comedat, ut ambulet.”¹

V. Scholasticus medico obvius, “Ignosce mihi,” inquit, “et succensere noli, quod non aegrotaverim.”²

VI. Scholasticus murem captans, qui continenter libros eius ardebat, mandens carnem e regione eius consedit.³

VII. Scholasticus equum suum docturus parum comedere, nihil ei praebuit pabuli. Equo tandem fame mortuo: “Proh damnus!” ait, “Doctus iam non comedere, mortuus est.”⁴

VIII. Scholasticus domum venditurus lapidem ab eâ revulsum in specimen circumtulit.⁵

IX. Scholasticus scire desiderans equid se deceret somnus, clausis oculis speculum inspexit.⁶

X. Scholasticus in aedibus, quas emerat, de fenestrâ prospiciens quaesivit ex adstantibus num satis se deceret illa domus?⁷

XI. In somnis cum offendere ad clavum sibi visus esset Scholasticus, pedem dolere ratus, obligavit. Cui alius, causâ cognitâ: “Quare descalceatus dormis?”⁸

XII. Scholasticus occurrens medico abdidit se post parietem. Quaerenti amico causam dixit: “Iam diu est quod non aegrotavi; erubesco igitur prodire in conspectum medici.”⁹

XIII. Amphoram vini habens Scholasticus, obsignaverat. Quam cum servulus subtus perforasset abstulissetque partem vini, mirabatur is quomodo vinum salvis sigillis minueretur. Ad quem nonnemo: “Vide ne inferius subtractum sit.” At ille: “Omnium,” inquit, “stultissime, non inferior pars desit, sed superior.”¹⁰

XIV. Scholasticus, conspectis in arbore passeribus, clanculum subiens expandit sinum arboremque concussit, tanquam passerem decedentes excepturus.¹¹

XV. Scholasticus in agrum proprium egressus bibere desiderabat aquam, si esset pura, ex puteo qui illic erat. Affirmantibus autem nonnullis bonam esse atque etiam parentes ipsius ex eodem puteo bibisse: “Vah quam longis,” inquit, “collis praediti erant, qui ex hoc profundo bibere potuerunt!”¹²

XVI. Scholasticus scholastico obvius dixit: “Accepi te esse mortuum.” Et ille: “Atqui vides,” inquit, “vivere me.” Rursus alter: “Qui id mihi dixit, multo te fide dignior est.”¹³

XVII. Scholasticus cum inaudisset corvum ultra ducentos annos vitam extrahere, periculum facturum, emit corvum et aluit.¹⁴

XVIII. Scholasticus adversâ tempestate navigans, cum ceteri quidem vectores obvias quisque tabulas, quibus enatarent, arriperent, unam ipse ex ancoris amplexus est.¹⁵

XIX. Fratrum gemellorum unus diem obierat. Scholasticus igitur obviam factus superstiti interrogavit: “Tu-ne quaeso mortuus es, an tuus frater?”¹

¹ Hierocles 37 (nonnullis mutatis)

² Hierocles 253

³ Hierocles 8

⁴ Hierocles 9

⁵ Hierocles 41

⁶ Hierocles 11

⁷ Hierocles 14

⁸ Hierocles 15

⁹ Hierocles 6

¹⁰ Hierocles 254

¹¹ Hierocles 19

¹² Hierocles 51

¹³ Hierocles 22

¹⁴ Hierocles 255

¹⁵ Hierocles 256

XX. Scholasticus traiecturus amnem, conscendit navim eques. Rogatus cur id faceret, festinare se dixit.²

XXI. Scholasticus, indigens sumptu, libellos suos vendidit. Datis deinde litteris ad parentem scripsit: “Laetare nobiscum, pater: iam enim nos alunt libri.”³

XXII. Scholastici filiulus obierat. Videns ergo pater confluentis populi multitudinem, “Pudet hercule,” inquit, “in tam magnam turbam parvulum efferre puerum.”⁴

XXIII. Scholastici filius, a patre missus in militiam, recepit allaturum se unius ex hostibus caput. At ille “Vel te,” inquit, “sine capite reducem, modo salvum, et videre velim, et cum gaudio exosculari.”⁵

XXIV. Ad scholasticum in Graecia versantem litteras amicus dederat, quibus expetebatur ut quosdam sibi compararet mitteretque libros. At is, negotio neglecto, ubi in amicum postea incidit, “Epistulam,” ait, “quam de libris ad me misisti, non accepi.”⁶

XXV. Scholasticus et calvus et tonsor, unâ proficiscentes, in quattuor usque horas pacti sunt vigiliis. Tetigit autem prima sors tonsorem. Is allevans dormientem strenue scholasticum rasisit, et elapso tempore expergefecit. Qui scalpens a somno caput, ubi id glabrum sensit, exclamavit: “Scelus ingens, tonsor! Calvum pro me, errans scilicet, excitavit.”⁷

EX MACROBIO

XXVI. Sacrificium apud veteres fuit quod vocabatur *propter viam*. In eo mos erat ut, si quid ex epulis superfuisset, igne consumeretur. Hinc Catonis iocus est: nam Q. Albidium quendam, qui sua bona comedisset⁸ et novissime domum, quae ei reliqua erat, incendio perdidisset, propter viam fecisse⁹ dicebat; quod comesse non potuerit, id combussisse.¹⁰

XXVII. Post Mutinensem fugam quaerentibus quid ageret Antonius, respondisse familiaris eius ferebatur: “Quod canis in Aegypto: bibit et fugit.” Quando in illis regionibus constat canes raptu crocodilorum exterritos currere et bibere.¹¹

XXVIII. Publius Mucium, imprimis malivolum, cum vidisset solito tristiolem, “Aut Mucio,” inquit, “nescio quid incommodi accessit, aut nescio cui aliquid boni.”¹²

XXIX. Demosthenes excitatus ad Laïdis famam, cuius formam tunc Graecia mirabatur, accessit ut et ipse famoso amore potiretur. Qui, ubi dimidium talentum unius pretium noctis audivit, discessit hoc dicto: “Tanti paenitentiam non emo.”¹³

XXX. Marcus Otacilius Pitholaus, cum Caninius Revilius uno tantum die consul fuisset, dixit: “Ante flamines, nunc consules diales fiunt.”¹⁴

XXXI. M. Cicero, cum Lentulum generum suum, exiguae staturae hominem, longo gladio accinctum vidisset, “Quis,” inquit, “generum meum ad gladium alligavit?”¹⁵

¹ Hierocles 29

² Hierocles 31

³ Hierocles 55

⁴ Hierocles 40

⁵ Hierocles 65

⁶ Hierocles 17

⁷ Hierocles 56

⁸ i.e. prodegisset

⁹ i.e. sacrificasse

¹⁰ Macrobius 2.2

¹¹ Canes currentes bibunt e Nilo, quia metuunt ne rapiantur a crocodilis. Macrobius 2.2

¹² Macrobius 2.2

¹³ Macrobius 2.2

¹⁴ Flamen dialis est sacerdos Iovis. Ambiguitas ergo est in voce *dialis*. Macrobius 2.2

¹⁵ Macrobius 2.3

XXXII. Nec Q. Ciceroni fratri circa similem mordacitatem pepercit. Nam cum in ea provincia, quam ille rexerat, vidisset clypeatam imaginem eius ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam (erat autem Quintus ipse staturae parvae) ait: “Frater meus dimidius maior est quam totus.”¹

XXXIII. In consulatu Vatini, quem paucis diebus gessit, notabilis Ciceronis urbanitas circumferebatur. “Magnum ostentum,” inquit, “anno Vatini factum est: quod illo consule nec bruma nec aestas nec autumnus fuit.”²

XXXIV. Querenti deinde Vatino, quod gravatus esset domum ad se infirmatum³ venire, respondit: “Volui in consulatu tuo venire, sed nox me comprehendit.”⁴

XXXV. Ulcisci autem se Cicero videbatur, ut qui respondisse sibi Vatinium meminerat, cum humeris se reipublicae de exilio reportatum gloriaretur: “Unde ergo tibi varices?”⁵

XXXVI. Caninius quique Revilius, qui uno die (ut iam rettuli) consul fuit, rostra cum ascendisset, pariter honorem iniit consulatus et eieravit.⁶ De quo Cicero: “Hoc consecutus est Revilius, ut quaeretur, quibus consulibus consul fuerit.” Dicere praeterea non destitit: “Vigilantem habemus consulem Caninium, qui in consulatu suo somnum non vidit.”⁷

XXXVII. Dixerat Cicero praetereunti Laberio in ludo⁸ et sedile quaerenti: “Recepissem te nisi anguste sederem.” Respondit Laberius: “Mirum, si anguste sedes, qui soles duabus sellis sedere.” Exprobratâ levitate Ciceroni, qua immerito optimus civis male audiebat.⁹

XXXVIII. Cicero, cum Piso gener eius mollius incederet, filia autem concitatus, ait genero: “Ambula tanquam femina.” Ait filiae: “Ambula tanquam vir.”¹⁰

XXXIX. Augustus Caesar Aiace tragoediam scripserat eandemque, quod sibi displicisset, deleverat. Postea Lucius, gravis tragoediarum scriptor, interrogabat eum quid ageret Ajax suus. Et ille, “In spongiam,” inquit, “incubuit.”¹¹

XL. Idem Augustus, cum ei quidam libellum¹² trepidus offerret et modo proferret manum, modo retraheret, “Putas,” inquit, “te assem elephanto dare?”¹³

XLI. Idem, cum ab eo Pacuvius Taurus congiarium¹⁴ peteret diceretque iam hoc homines vulgo loqui non parvam sibi ab illo pecuniam datam: “Sed tu,” inquit, “noli credere.”

XLII. Alium, praefecturâ equitum summotum et insuper salarium postulantem dicentemque, “Non lucri causâ dari hoc mihi rogo, sed ut iudicio tuo munus videar impetrasse, et ita officium deposuisse,” hoc dicto repercutit: “Tu te accepisse apud omnes affirma, et ego dedisse me non negabo.”¹⁵

XLIII. Urbanitas eiusdem innotuit circa Herennium deditum vitii iuvenem, quem cum castris excedere iussisset et ille supplex hac deprecatione uteretur: “Quomodo ad patrias sedes revertar? Quid patri meo dicam?” respondit: “Dic me tibi displicuisse.”¹⁶

¹ Macrobius 2.3

² Macrobius 2.3

³ aegrum

⁴ Macrobius 2.3

⁵ crura distorta. Macrobius 2.3

⁶ deposuit

⁷ Macrobius 2.3

⁸ spectaculo

⁹ Macrobius 2.3

¹⁰ Macrobius 2.3

¹¹ Alluditur morti Aiace, qui gladio incubuit. Macrobius 2.4

¹² chartula qua petitor rem a principe quaerit

¹³ Macrobius 2.4

¹⁴ pecunia a principe data. Macrobius 2.4

¹⁵ Macrobius 2.4

¹⁶ Macrobius 2.4; Quintilianus 6.3.64

XLIV. Saxo in expeditione percussus ac notabili cicatrice in fronte deformem, nimium tamen sua opera iactantem, sic leniter castigavit: “At tu cum fugies,” inquit, “nunquam post te respexeris.”¹

XLV. Galbae, cuius informe gibbo erat corpus, agenti apud se causam et frequenter dicenti: “Corrige in me, si quid reprehendis;” respondit: “Ego te monere possum, corrigere non possum.”²

XLVI. Cum multi Severo Cassio accusante absolverentur et architectus fori Augusti expectationem operis diu traheret, ita iocatus est: “Vellem Cassius et meum forum accuset.”³

XLVII. Vettius cum monumentum patris exarasset ait Augustus: “Hoc est vere monumentum patris colere.”⁴

XLVIII. Cum audisset inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudaeorum intra bimum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait: “Melius est Herodis porcum esse quam filium.”⁵

XLIX. Exceptus est a quodam cenâ satis parcâ et quasi quotidianâ. Nam paene nulli se invitanti negabat. Post epulum igitur inops ac sine ullo apparatu discedens, valedicenti hoc tantum insusurravit: “Non putabam me tibi tam familiarem.”⁶

L. Cum de Tyriae purpurae, quam emi iusserat, obscuritate quereretur, dicente venditore: “Erige altius et suspice;” his usus est salibus: “Quid? Ego, ut me populus Romanus dicat bene cultum, in solario⁷ ambulaturus sum?”

LI. Nomenclatori suo, de cuius oblivione querebatur, dicenti: “Numquid ad forum mandas?” “Accipe,” inquit, “commendatitias, quia illic neminem nosti.”⁸

LII. Relatâ ad se magnitudine aeris alieni, quam quidam eques Romanus dum vixit excedentem ducenties⁹ celaverat, culcitam emi cubicularem in eius auctione sibi iussit. Et praeceptum mirantibus hanc rationem reddidit: “Habenda est ad somnum culcita, in qua ille, cum tantum deberet, dormire potuit.”¹⁰

LIII. Cuiusdam provincialis iocus asper innotuit. Intraverat Romam simillimus Caesari, et in se omnium ora converterat. Augustus perduci ad se hominem iussit, visumque hoc modo interrogavit: “Dic mihi, adolescens. Fuit aliquando mater tua Romae?” Negavit ille, nec contentus adiecit: “Sed pater meus saepe.”¹¹

LIV. Curtius, eques Romanus deliciis diffluens, dum macrum turdum sumpsisset in convivio Caesaris, interrogavit an mittere liceret. Responderat princeps: “Quidni liceat.” Ille per fenestram statim misit.¹²

LV. Solebat descendenti a palatio Caesari honorificum aliquod epigramma porrigere Graeculus. Id cum frustra saepe fecisset rursusque eum idem facturum vidisset Augustus, brevi suâ manu in chartâ exaravit Graecum epigramma; pergenti deinde ad se obviam misit. Ille legendo laudare, mirari tam voce quam vultu, cumque accessisset ad sellam,

¹ Macrobius 2.4

² Macrobius 2.4

³ Macrobius 2.4

⁴ Macrobius 2.4

⁵ Macrobius 2.4

⁶ Macrobius 2.4

⁷ in sublimi loco. Macrobius 2.4

⁸ Macrobius 2.4

⁹ Subintellige sestertiûm, id est HS 100,000. Summa est HS 20,000,000.

¹⁰ Macrobius 2.4

¹¹ Macrobius 2.4

¹² Macrobius 2.4

demissâ in pauperem fundam¹ manu, paucos denarios protulit quos principi daret. Adiectus hic sermo: “Si plus haberem, plus darem.” Secuto omnium risu, dispensatorem Caesar vocavit et sesteria centum milia numerare Graeculo iussit.²

LVI. Augustus inter amicos dixit duas se habere filias delicatas quas necesse haberet ferre: Rempubicam et Iuliam.³

LVII. Ad Augustum Iulia venerat licentiore habitu et oculos offenderat patris tacentis. Mutavit cultus sui posterâ die morem, et laetum patrem affectatâ severitate complexa est. At ille, qui pridie dolorem suum continuerat, gaudium continere non potuit et, “Quantum hic,” ait, “in filiâ Augusti probabilior est cultus.” Non defuit patrocínio suo Iulia his verbis: “Hodie enim me patris oculis ornavi, heri viri.”⁴

LVIII. Converterant in se populum in spectaculo gladiatorum Livia et Iulia, comitatus dissimilitudine. Quippe cingentibus Liviam gravibus viris, haec iuventutis et quidem luxuriosae grege circumsidebatur. Admonuit pater scripto: “Videret quantum inter duas principes feminas interesset.” Eleganter illa rescripsit: “Et hi mecum senes fient.”⁵

LIX. Eadem Iulia mature habere coeperat canos, quos legere secrete solebat. Subitus interventus patris aliquando oppressit ornatrices. Dissimulavit Augustus, deprehensis super vestem eius canis, et aliis sermonibus tempore extracto, induxit aetatis mentionem, interrogavitque filiam utrum post aliquot annos cana esse mallet an calva. Et cum illa respondisset, “Ego, pater, cana esse malo;” sic illi mendacium obiecit: “Quid ergo istae te calvam tam cito faciunt?”⁶

LX. Item, cum gravem amicum audisset Iulia suadentem melius facturam, si se composuisset ad exemplar paternae frugalitatis, ait: “Ille obliviscitur Caesarem se esse; ego memini me Caesaris filiam.”⁷

LXI. Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat ut aediles edicerent ne quis in arenam, nisi pomum, misisse vellet. Forte his diebus Cascellius, consultus a quodam an nux pinea pomum esset, respondit: “Si in Vatinium missurus es, pomum est.”⁸

LXII. Mercatori deinde, quemadmodum cum socio navim divideret, interroganti respondiisse traditur: “Navim si dividis, nec tu nec socius habebitis.”⁹

LXIII. In Galbam eloquentiâ clarum sed quem habitus (ut supra dixi) corporis destruebat, M. Lollii vox circumferebatur: “Ingenium Galbae male habitat.”¹⁰

LXIV. In eundem Galbam Orbilius Grammaticus acerbius irrisit. Prodierat Orbilius in reum testis. Quem Galba ut confunderet dissimulatâ professione eius interrogavit: “Quod artificium facis?” Respondit: “In sole gibbos soleo fricare.”¹¹

LXV. Ioculari, super cenâ, exortâ quaestione quodnam esset molestum otium, aliud alio opinante, Publius Syrus, “Podagrici pedes,” dixit.¹²

¹ sinus togae ubi res conservantur.

² Macrobius 2.4

³ Macrobius 2.5

⁴ Macrobius 2.5

⁵ Macrobius 2.5

⁶ Macrobius 2.5

⁷ Macrobius 2.5

⁸ Macrobius 2.6

⁹ Macrobius 2.6

¹⁰ Macrobius 2.6

¹¹ Macrobius 2.6

¹² Macrobius 2.7

EX CICERONE

LXVI. Ridiculum est illud Neronianum vetus in furace servo: Solum esse cui domi nihil sit nec obsignatum nec oclusum. Quod idem in bono servo dici solet.¹

LXVII. Crassus apud M. Perpennam iudicem pro Aculeone cum diceret, aderat contra Aculeonem Gratidiano L. Helvius Lamia deformis. Qui cum interpellaret odiose: “Audiamus,” inquit Crassus, “pulchellum puerum.” Cum esset arrisum, “Non potui mihi,” inquit Lamia, “formam ipse fingere, ingenium potui.” Tum hic: “Audiamus,” inquit, “disertum.” Multo etiam arrisum est vehementius.²

LXVIII. Scipio apud Numantiam cum stomacharetur cum C. Metello dixisse dicitur: “Si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram.”³

LXIX. Cum C. Fabricio P. Cornelius, homo, ut existimabatur, avarus et furax, sed egregie fortis et bonus imperator, gratias ageret quod se homo inimicus consulem fecisset bello praesertim magno et gravi: “Nihil est quo mihi gratias agas,” inquit, “si malui compilari quam vênire.”⁴

LXX. Cum Africanus Censor tribu movebat eum centurionem, qui in Pauli pugnâ non affuerat, cum ille se custodiae causâ diceret in castris remansisse quaereretque cur ab eo notaretur, “Non amo,” inquit, “nimium diligentes.”⁵

LXXI. Siculo cum familiaris quidam quereretur quod diceret uxorem suam suspendisse se de ficu: “Amabo te,” inquit, “Da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos.”⁶

LXXII. Quidam orator malus cum in epilogo misericordiam se movisse putaret, postquam assedit, rogavit Catulum videreturne misericordiam movisse? “Ac magnam quidem,” inquit. “Neminem enim puto esse tam durum cui non oratio tua miseranda visa sit.”⁷

LXXIII. Cum Cato percussum esset ab eo qui arcam ferebat, cum ille diceret: “Cave!” rogavit numquid aliud ferret praeter arcam?⁸

LXXIV. Siculus, cui praetor Scipio patronum causae dabat hospitem suum, hominem nobilem sed admodum stultum: “Quaeso,” inquit, “praetor, adversario meo da istum patronum. Deinde mihi neminem dederis.”⁹

LXXV. Patrono malo, cum vocem in dicendo obtudisset, suadebat Granius ut mulsum frigidum biberet simul ac domum redisset. “Perdam,” inquit, “vocem, si id fecero.” “Melius est,” inquit, “quam reum.”¹⁰

LXXVI. Cum Scaurus nonnullam haberet invidiam ex eo, quod Phrygionis Pompeii locupletis hominis bona sine testamento possederat, sederetque advocatus reo Bestiae, cum funus quoddam duceretur, accusator C. Memmius: “Vide,” inquit, “Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor.”¹¹

LXXVII. C. Laelius, cum ei quidam malo genere natus diceret indignum esse suis maioribus: “At hercule,” inquit, “tu tuis dignus.”¹²

¹ de Oratore 2.248

² de Oratore 2.262

³ de Oratore 2.268

⁴ de Oratore 2.268

⁵ de Oratore 2.272

⁶ de Oratore 2.278; cp. facetiam CLI^{am}

⁷ de Oratore 2.278

⁸ de Oratore 2.279

⁹ de Oratore 2.280

¹⁰ de Oratore 2.282

¹¹ de Oratore 2.283

¹² de Oratore 2.286

LXXVIII. M. Lepidus, cum ceteris in campo exercentibus in herbâ ipse recubisset, “Vellem hoc esset,” inquit, “laborare.”¹

LXXIX. Censor Lepidus, cum M. Antistio Pyrgensi equum² ademisset, amicique cum vociferarentur et quaerent quid ille patri suo responderet cur ademptum sibi equum diceret, cum optimus colonus, parcissimus, modestissimus, frugalissimus esset: “Me istorum,” inquit, “nihil credere.”³

EX QUINTILIANO

LXXX. Iuvenes Tarentini, qui multa de Pyrrho rege securius inter cenam locuti, cum rationem facti resposcerentur et neque negari res neque defendi posset, risu sunt et opportuno ioco elapsi. Namque unus ex his, “Immo,” inquit, “nisi lagoena defecisset, occidissemus te.” Eâque urbanitate tota est invidia criminis dissoluta.⁴

LXXXI. Longus Sulpicius, cum ipse foedissimus esset, eum, contra quem iudicio liberali⁵ aderat, ne faciem quidem habere liberi hominis dixit. Cui respondens Domitius Afer, “Ex tui,” inquit, “animi sententiâ, Longe, qui malam faciem habet liber non est?”⁶

LXXXII. C. Iulius, cum Helmio Manciae saepius obstrepenti sibi diceret, “Tam ostendam qualis sis,” isque plane instaret interrogatione qualem se tandem ostensurus esset, digito demonstravit imaginem galli in scuto Mariano Cimbrico pictam, cui Manciam tum simillimus est visus. Tabernae autem erant circa forum ac scutum illud signi gratiâ positum.⁷

LXXXIII. Cum candidatus, qui coqui filius habebatur, coram Cicerone suffragium ab alio peteret, dixit Tullius: “Ego quoque iure tibi favebo.”⁸

LXXXIV. Placidum nomine, quia is acerbus naturâ esset, “Acidum”; et Tullium, cum fur esset, “Tollium”, dictos invenio.⁹

LXXXV. Publius Blessus Iunium, hominem nigrum et macrum et pandum, fibulam ferream dixit.¹⁰

LXXXVI. Eques Romanus, ad quem in spectaculis bibentem cum misisset Augustus, qui ei diceret: “Ego, si prandere volo, domum eo.” “Tu enim,” inquit, “non times ne locum perdas.”¹¹

LXXXVII. Stulte interrogaverat exeuntem de theatro Carpathium Titius Maximus an spectasset. Fecit Carpathius dubitationem eius stultiorem dicendo: “Non, sed in orchestrâ pilâ lusi.”¹²

LXXXVIII. Cicero, Vatinius morte nuntiatâ, cuius parum certus dicebatur auctor, “Interim,” inquit, “usurâ fruar.”¹³

LXXXIX. Vibium Curium multum de annis aetatis suae mentientem sic redarguit Cicero: “Tum ergo, cum unâ declamabamus, non eras natus.”¹⁴

¹ de Oratore 2.287

² dignitatem equestrem

³ de Oratore 2.287

⁴ Inst. 6.3.10

⁵ ex causâ libertatis

⁶ Inst. 6.3.32

⁷ Inst. 6.3.38

⁸ “iure” significat et “recte” et “ob cibum patris tui”. (“Ius” est genus cibi.) Inst. 6.3.47. Temporibus Ciceronis vox “quoque” paene itidem sonabatur ac “coque”.

⁹ Inst. 6.3.53

¹⁰ Inst. 6.3.58

¹¹ Inst. 6.3.63

¹² Inst. 6.3.71

¹³ Inst. 6.3.68; cp. facetiam XCVII^{am}

¹⁴ Inst. 6.3.73

XC. Idem Fabiâ Dolabellae dicente triginta se annos habere: “Verum est,” inquit, “nam hoc iam viginti annis audio.”¹

XCI. Iunius Bassus, querente Domitiâ Passieni, quod incusans eius sordes² calceos eam veteres diceret vendere solere, “Non mehercule,” inquit, “hoc unquam dixi, sed emere te solere.”³

XCII. Eques Romanus obicienti Augusto, quod patrimonium comedisset, “Meum,” inquit, “putavi.”⁴

XCIII. Cicero Curionem semper ab excusatione aetatis incipientem facilius quotidie prooemium habere dixit.⁵

XCIV. Augustus nuntiantibus Tarraconnensibus palmam in arâ eius enatam, “Apparet,” inquit, “quam saepe accendatis.”⁶

XCV. Gabba dicente quodam victoriato⁷ se uno in Siciliâ quinque pedes longam murenam emisse, “Nihil,” inquit, “mirum; nam ibi tam longae nascuntur ut iis piscatores pro restibus utantur.”⁸

XCVI. Catulus dicenti Philippo, “Quid latras?” “Furem video,” inquit.⁹

XCVII. Cicero, auditâ falsâ Vatini morte, cum Ovinium libertum eius interrogasset, “Rectene omnia?” dicenti, “Recte.” “Mortuus est,” inquit.¹⁰

XCVIII. Cum ab Augusto miles nescio quid improbe peteret, veniret contra Martianus, quem suspicabatur et ipsum aliquid iniuste rogaturum: “Non magis,” inquit, “faciam, commilito, quae petis quam quod Martianus a me petiturus est.”¹¹

XCIX. Cicero, cum ei testem in iudicio Verris roganti dixisset Hortensius, “Non intellego haec aenigmata.” “Atqui debes,” inquit, “cum Sphingem domi habeas.” Acceperat autem ille a Verre Sphingem aeneam magnae pecuniae.¹²

C. Quidam mirantibus quod humile candelabrum emisset, “Pransorium erit,” inquit.¹³

EX SUETONIO

CI. Haruspice tristia et sine corde exta sacro quodam nuntiante, Iulius Caesar dixit: “Non pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset.”¹⁴

CII. Peregrinis a Iulio Caesare in senatum allectis, propositus libellus est: “Bonum factum: ne quis senatori novo curiam monstrare velit.”¹⁵

CIII. Augustus populo promissum congiarium reposcenti bonae se fidei esse respondit.¹⁶

CIV. Quadem cognitione, cum Aemilio Aeliano Cordubensi inter cetera crimina vel maxime obiceretur, quod male opinari de Caesare soleret, conversus ad accusatorem commotoque

¹ Inst. 6.3.73

² avaritiam

³ Inst. 6.3.74

⁴ Inst. 6.3.74

⁵ Inst. 6.3.76

⁶ Inst. 6.3.77

⁷ monetae genus fuit.

⁸ Inst. 6.3.80

⁹ Inst. 6.3.81

¹⁰ Inst. 6.3.84

¹¹ Inst. 6.3.95

¹² Inst. 6.3.98, Plut. Mor. 205B, alibi.

¹³ Inst. 6.3.99

¹⁴ Suet. Iul. 77

¹⁵ Suet. Iul. 80

¹⁶ Suet. Aug. 42

similis, “Velim,” inquit, “hoc mihi probes. Faciam sciat Aelianus et me linguam habere. Plura enim de eo loquar.”¹

CV. Claudius Pulcher apud Siciliam non pascentes in auspicando pullos, per contemptum religionis, mari demersit, quasi ut biberent quando esse² nollet.³

CVI. Claudius Caesar uno die XX edicta proposuit: inter quae duo, quorum altero admonebat ut uberi vinearum proventu bene dolia picarentur; altero nihil aequae facere ad viperæ morsum quam taxi arboris succum.⁴

CVII. Querente quondam Claudio de fisci exiguitate non absurde est dictum: “Abundaturum, si a duobus libertis in consortium reciperetur.” Nam his uxoribusque addictus non principem se sed ministrum egit. Hi rapiebant omnia.⁵

CVIII. Idem Claudius dicitur meditatus edictum quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio emittendi, cum periclitatum quendam prae pudore ex continentia reperisset.⁶

CIX. Idem Caesar de quaestore quodam candidato inter causas suffragationis suae posuit, quod pater eius frigidam aegro sibi tempestive dedisset.⁷

CX. Idem multos ex iis, quos capite damnaverat,⁸ postero statim die et in convivium et ad aleae lusum admoveri iussit. Et quasi morarentur, ut somniculosos per nuntium increpuit. Occisâ Messallinâ, paulo postquam in triclinio decubuit, cur domina non veniret requisivit.⁹

CXI. Idem, cum impubi teneroque adhuc Britannico, quando statura permetteret, togam dare destinasset, adiecit ut tandem populus Romanus verum Caesarem habeat.¹⁰

CXII. Vespasianus Caesar fuit vultu veluti nitentis.¹¹ Unde quidam urbanorum non infacete, siquidem petenti ut et in se aliquid diceret: “Dicam,” inquit, “cum ventrem exonerare desieris.”¹²

CXIII. Vespasianus Mestrium Florum consularem, admonitus ab eo “plaustra” potius quam “plostra” dicenda, die postero “Flaurum” salutavit.¹³

CXIV. Idem mulionem in itinere quodam suspicatus ad calceandas mulas desiluisse ut adeunti litigatori spatium moramque praeberet, interrogavit quanti calceasset, pactusque est lucri partem.¹⁴

CXV. Nuntiantibus Legatis decretam ei publice non mediocris summae statuam colosseam, iussit ut continuo ponerent,¹⁵ cavam manum ostentans et paratam basin dicens.¹⁶

CXVI. Primâ morbi accessione, “Ut,” inquit, “puto, Deus fio.” Et alvo usque ad defectionem solutâ, “Imperatorem,” ait, “stantem mori oportere.”¹⁷

¹ Suet. Aug. 51

² esse – edo, esse

³ Val. Max. 1.4.3

⁴ Suet. Claud. 16

⁵ Suet. Claud. 28-29

⁶ Suet. Claud. 32

⁷ Suet. Claud. 40

⁸ supplicio capitis affecerat.

⁹ Suet. Claud. 39

¹⁰ Suet. Claud. 43

¹¹ i.e. connitentis, sicut homo qui alveum frustra exonerare conetur.

¹² Suet. Vesp. 20

¹³ Suet. Vesp. 22

¹⁴ Suet. Vesp. 23

¹⁵ i.e. summam pecuniae darent

¹⁶ Suet. Vesp. 23

¹⁷ Suet. Vesp. 23-24

CXVII. Domitiani Caesaris vox laudatur: “Vellem,” inquit, “tam formosus esse quam Metius sibi videtur.” Et cuiusdam caput, varietate capilli subrutilum et incanum, perfusam nivem mulso dixit.¹

CXVIII. Hic inter initia principatus quotidie secretum sibi horarium² sumere solebat, nec quicquam amplius quam muscas captare ac stylo praeacuto configere. Ut cuidam interroganti essetne quis intus cum Caesare, non absurde responsum sit a Vibio Crispo: “Ne musca quidem.”³

CXIX. Diogenes Grammaticus, disputare sabbatis Rhodi solitus, venientem Tiberium Caesarem, ut se extra ordinem audiret, non admiserat, ac per servulum suum in septimum diem distulerat. Hunc Romae salutandi causâ pro foribus adstantem nihil amplius quam ut post septimum annum rediret admonuit.⁴

CXX. Tiberius, ut parsimoniam publicam exemplo quoque iuvaret, solemnibus ipse cenis pridiana saepe ac semesa opsonia apposuit dimidiatumque aprum; affirmans, omnia eadem habere, quae totum.⁵

CXXI. Idem in castris tiro etiam tum, propter nimiam vini aviditatem, pro Tiberio Biberius, pro Claudio Caldus, pro Nerone Mero vocabatur.⁶

CXXII. Idem Iliensium Legatis, paulo serius de obitu filii consolantibus, quasi oblitteratâ iam doloris memoriâ irridens, se quoque respondit vicem eorum dolere, quod egregium civem Hectorem amisissent.⁷

CXXIII. Idem scurram, qui praetereunte funere claro mortuo mandarât ut nuntiaret Augusto nondum reddi legata, quae plebi reliquisset, attractum ad se recipere debitum ducique ad supplicium imperavit et patri suo verum referre.⁸

CXXIV. Caesar Caligula, inter alia insane facta, quasi perpetraturus bellum directâ acie in litore Oceani, ac ballistis machinisque dispositis, nemine gnaro ac opinante quidnam coepturus esset, repente ut conchas legerent galeasque et sinus replerent imperavit, “Spolia Oceani” vocans “Capitolio Palatioque debita.”⁹

CXXV. Idem equiti Romano tumultuanti per centurionem denuntiavit abiret sine morâ Ostiam perferretque ad Ptolemaeum regem in Mauritiam codicillos suos, quorum exemplum erat: “Ei, quem istuc misi, neque boni quicquam neque mali feceris.”¹⁰

CXXVI. Nero cum quaereretur ad supplicium, unoquoque hinc inde instante, ut quam primum se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coram fieri imperavit, dimensus ad corporis sui modulum; componique simul, si qua invenirentur, frusta marmoris et aquam simul ac ligna conferri curando mox cadaveri, flens ad singula atque identidem dictans: “Qualis artifex pereor!” Non minus sunt ridicula, quae de ipsâ morte apud Suetonium sequuntur.¹¹

¹ Suet. Dom. 20

² horarium – vide Hoven, *Lexique de la Prose Latine*

³ Suet. Dom. 3

⁴ Suet. Tib. 32

⁵ Suet. Tib. 34

⁶ Suet. Tib. 42

⁷ Suet. Tib. 52

⁸ Suet. Tib. 57

⁹ Suet. Cal. 46

¹⁰ Suet. Cal. 55

¹¹ Suet. Ner. 49

E VARIIS

CXVII. Cum adstantem arae Palladis Agesilaum ut bovem immolaret momordisset pediculus, non aversus est, sed arreptum palam omnibus occidit, “Per Deos,” inquit, “equidem insidiatorem lubens vel in ipsâ arâ.”¹

CXXVIII. Menecrates quidam medicus, cum desperatae quaedam curationes ipsi feliciter cessissent, populari adulatione dictus est Iuppiter. Hoc cognomento vir arrogantis ingenii delectatus insolentius usus est eo titulo. Tandem cum et Agesilao scriberet, nec veritus esset hac uti salutatione: “Menecrates Iupiter Agesilao regi salutem”. Rex eo offensus prooemio praeterea nihil dignatus est legere, sed rescripsit in hunc modum: “Rex Agesilaus Menecrati sanitatem.”²

CXXIX. Samiorum legatis prolixiore utentibus oratione, dixerunt Spartani: “Prima sumus obliti, posteriora non intelleximus, quia prima non meminimus.”³

CXXX. Quidam conspectâ tabulâ, quae picturam habebat quomodo Lacedaemonii trucidarentur ab Atheniensibus, dixit: “Fortes Athenienses!” Id Lacon audiens subiecit: “In tabula.”⁴

CXXXI. Quidam servo, qui dum puniretur dicebat, “Non volens erravi!” “Non volens igitur,” inquit, “poenas dato!”⁵

CXXXII. Hospes quidam apud Lacedaemonios, cum ipsi stanti interim altero pede crepida in alterum indueretur, dixit cuidam: “Non arbitror te, Lacon, tantum temporis uni pedi posse insistere.” Lacedaemonius excipiens, “Fateor,” inquit, “attamen nullus est anserum, qui istuc non possit.”⁶

CXXXIII. Lacedaemonius, cum illata esset convivio lyra, “Non est Laconicum,” inquit, “nugari.” Lautius existimabat honestis fabulis condire convivium quam inani lyrae strepitu.⁷

CXXXIV. Lacon interrogatus de re quapiam, respondit “Non.” Verum ubi percontator dixisset illum mentiri: “Non vides igitur,” inquit Lacon, “te stultum esse, qui scisciteris de his quae noveris?”⁸

CXXXV. Venerunt aliquando Lacedaemonii legati ad Lygdamin tyrannum. Qui variis eos causis differens ut prohiberet a colloquio, tandem perhibuit se parum firmâ esse valetudine. Legati responderunt: “Per Iovem, non huc venimus cum illo luctaturi, sed collocaturi.”⁹

CXXXVI. Demonides, amissis furto crepidis, precatus est ut eius, qui sustulerat, pedibus convenirent. Visus est bene precari, cum magnum illi precaretur malum, pedes videlicet distortos quales habebat Demonides.¹⁰

CXXXVII. Lacaena filio dicenti, quod brevem haberet gladium, “Tu,” inquit, “adde gradum.”¹¹

¹ scil. occidissem vel occiderim. Plut. Mor. 208E

² Plut. Mor. 213A

³ Plut. Mor. 232D

⁴ Plut. Mor. 232F

⁵ Plut. Mor. 232F; “dato” imperativus futurus

⁶ Plut. Mor. 233B

⁷ Plut. Mor. 234D

⁸ Plut. Mor. 236C

⁹ Plut. Mor. 236C-D. Melior est lusus verborum versionis Latinae quam verba textus Graeci: ou) palaiso/menoi...a)lla) dialexqhs0/menoi (beta code).

¹⁰ Plut. Mor. 18D

¹¹ Plut. Mor. 241F

CXXXVIII. Socrates cum Xantippen uxorem diu rixantem tulisset in aedibus ac tandem fessus consedisset ante fores, illa magis irritata quiete viri de fenestrâ perfudit eum lotio. Ridentibus qui praeteribant et ipse Socrates arridebat, dicens: “Facile divinabam post tantum tonitru secuturam pluviam.”¹

CXXXIX. Alcibiadi demiranti quod Xantippen Socrates supra modum rixosam domi perpeteretur, “Ego,” inquit, iam pridem his sic assuevi ut non magis offendar quam si rotae, quae aquam educit e puteo, stridorem audiam.”²

CXL. Iactanti cuidam, quod multum biberet nec inebriaretur, “Quid,” inquit Aristippus, “magni narras, cum idem faciat mulus?”³

CXLI. Diogenes Cynicus, cum aliquando de re seriâ disserens nullum haberet auditorem attentum, coepit ineptam cantionem canere veluti saltaturis. Ubi iam plurimi concurrissent, obiurgavit illos quod ad stulta concurrerent, ad seria et utilia nec alacriter convenirent nec diligenter auscultarent.⁴

CXLII. Idem Diogenes in foro quondam stans clamabat “Adeste homines!” veluti contionaturus apud populum, cumque iam frequentes convenissent nec ille desineret clamare, “Adeste homines!” quidam indignati: “En adsumus, dic.” Tum Diogenes, baculo illos abigens, “Homines,” inquit, “adesse iussi, non sterquilinia.”⁵

CXLIII. Sophista quidam volens apud Diogenem ostentare acumen ingenii, hunc in modum ratiocinatus est: “Quod ego sum, tu non es.” Cum annuisset Diogenes, “Ego,” inquit, “sum homo, igitur tu non es homo.” Tum Diogenes, “A me,” inquit, “incipi et recte collegeris.”

CXLIV. Cuidam ad ostentationem ingenii multa de rebus caelestibus disserenti, “Quam nuper,” inquit, “de caelo venisti?”⁶

CXLV. Quidam in publico gestans longam trabem per imprudentiam percusserat Diogenem, moxque ex more dixit, “Cave.” At Diogenes impegit baculum capiti eius, et post ictum adiecit, “Cave,” par pari referens.⁷

CXLVI. Conspicatus quendam se religionis causâ aspergentem aquis fluvialibus, “Infelix,” inquit, “cum erras in Grammaticâ, non absolveris aspersus. Multo minus aspersione te liberabit a vitae criminibus. Emendatione opus est.”⁸

CXLVII. Diogenes videns adolescentem lapides iacentem in crucem. “Euge,” inquit, “scopum attinges.” Innuvit fore ut aliquando in crucem ageretur.⁹

CXLVIII. Diogenem, cum adesset convivio, reliqui appellabant canem ossaque illi obiciebant. At ille discedens a tergo conspersit eos lotio, significans et hoc esse canum.¹⁰

CXLIX. Divitem quendam indoctum, ceterum splendide vestitum, appellabat ovem aureo vellere.¹¹

CL. Ingressus aliquando sordidum balneum dicebat: “Qui hîc lavant, ubi lavantur?”¹²

CLI. Cum aliquando vidisset mulieres ex olivâ pendere laqueo praefocatas, “Utinam,” inquit, “et ceterae arbores similem ferrent fructum.”¹

¹ Diogenes Laertius 2.36

² Diogenes Laertius 2.36

³ Diogenes Laertius 2.73

⁴ Diogenes Laertius 6.27

⁵ Diogenes Laertius 6.32

⁶ Diogenes Laertius 6.39

⁷ Diogenes Laertius 6.66 (nonnullis mutatis)

⁸ Diogenes Laertius 6.42

⁹ Diogenes Laertius 6.45

¹⁰ Diogenes Laertius 6.46

¹¹ Diogenes Laertius 6.47

¹² Diogenes Laertius 6.47

CLII. Percontanti, “Quid dabo tibi ut accipias colaphum?” respondit Diogenes, “Galeam.”²

CLIII. Quaerenti quodnam vinum libentissime biberet, “Alienum,” inquit.³

CLIV. Myndum aliquando profectus, cum videret portas peramplas et magnifice exstructas, exiguum vero ipsum oppidum: “Viri Myndii,” inquit, “claudite portas ne exeat urbs vestra.”⁴

CLV. Cum peroraret aliquando Anaximenes, Diogenes praetendens pernam auditores in se convertit. Ob id indignatus Anaximenes et destitutus ab auditorio, obticuit. Tum Diogenes, “Anaximenis,” inquit, “dissertationem oboli pretium dissolvit.”⁵

CLVI. Eos qui per luxum in coquos, nepotes, scorta, et adulatores facultates suas profunderent, similes dicebat arboribus per praecipitia nascentibus, quarum fructus homo non gustaret, sed corvi et vultures ederent.⁶

CLVII. Cum in publicâ viâ pranderet multique cingerent illum ob spectaculi novitatem ac subinde clamarent, “Canis, canis!” “Immo,” inquit, “vos estis canes, qui prandentem circumstatis.”⁷

CLVIII. Videns quendam artem medendi profitentem, qui prius fuerat palaestrata, sed ignavus, dixit illi: “An eos, qui te hactenus deiecerunt, vicissim nunc deiicies?”⁸

CLIX. Ad puerum meretrice natum lapillos iacentem in vulgus, “Cave,” inquit, “ne patrem ferias.”⁹

CLX. Cum in fano cenaret eique panes sordidi essent appositi, abiecit illos e fano dicens: “In templum nihil oportere ingredi sordidum.”¹⁰

CLXI. Quodam die, cum populus theatro egrederetur, ipse adversus populum nitens introibat dicens: “Philosophi esse obniti vulgo.”¹¹

CLXII. Cum ei quispiam probri vice obiecisset, quod in cauponâ biberet, “Et in tonstrina,” inquit, “tondeor.”¹²

CLXIII. Diogeni de non irascendo accurate disserenti, adolescens quidam protervus, veluti periculum facturus an re praestaret quae docebat, inspuit illi in faciem. Tulit hoc leniter ac sapienter. “Non irascor quidem,” inquit, “sed dubito tamen an irasci oporteat.”

CLXIV. A prodigo petebat minam. Ille miratus impudens postulatum, “Cur,” ait, “cum ab aliis obolum petere soleas, a me minam expetis?” “Quoniam,” inquit philosophus, “ab aliis iterum me accepturum spero; a te non item.”¹³

CLXV. Animadvertens quendam imperite iaculantem, proxime scopum consedit. Cur id faceret interrogantibus, “Ne forte,” inquit, “me feriat.”¹⁴

CLXVI. Olim in scholis pingi solent Musae, utpote studiorum praesides. Ingressus itaque Diogenes scholam, cum videret multas Musas, discipulos perpauca, dixit praeceptoris: “Cum Diis multos habes discipulos.”¹⁵

¹ Diogenes Laertius 6.52

² Diogenes Laertius 6.54

³ Diogenes Laertius 6.54

⁴ Diogenes Laertius 6.57

⁵ Diogenes Laertius 6.57

⁶ Diogenes Laertius 6.60

⁷ Diogenes Laertius 6.61

⁸ Diogenes Laertius 6.62

⁹ Diogenes Laertius 6.62

¹⁰ Diogenes Laertius 6.64

¹¹ Diogenes Laertius 6.64

¹² Diogenes Laertius 6.66

¹³ Diogenes Laertius 6.67

¹⁴ Diogenes Laertius 6.67

¹⁵ Diogenes Laertius 6.69

CLXVII. Paupertatem appellabat virtutem quae per se addiscitur. Nam frugalitatem, laborem, modestiam cultûs, alia per se ipsam docet paupertas.

CLXVIII. Philippus Macedo, cum in loco pulchro castra metari vellet ac moneretur illic non esse pabulum pro iumentis, “Quo redigimur,” inquit, “si ad asinorum quoque commoditatem vivere cogimur?”¹

CLXIX. Cum hi, qui apud Lasthenem erant, conquererentur quod ex Philippi comitatu quidam dicerent ipsos proditores, Philippus respondit: “Macedones sunt ingenio rusticano: ligonem ligonem vocant.”²

CLXX. Quodam tempore ab hospite invitatus Philippus ad cenam, inter eundem plures forte obvios secum adduxit umbras.³ Ubi sensit hospitem turbari, quod tam multis non sufficeret apparatus, misso ad singulos amicos puero, insusurravit eis ut placentae servarent locum. Illi persuasi, dum placentam expectant, paululum edebant. Ita factum est ut cena sufficeret omnibus, eodemque ioco et elusi amici et subventurum pudori hospitis.⁴

CLXXI. Philippus cum pro tribunali causam cognosceret Machetae, sed dormitans, sententiam tulit adversus Machetam. Verum is cum exclamasset se ab eâ sententiâ provocare, rex iratus, “Ad quem?” inquit. “A rege,” inquit ille, “dormitante ad vigilantem.” Surrexit Philippus, auditâque denuo ac probatâ causâ, iudicatum quidem non rescidit, sed pecuniam, qua damnatus fuerat Machetes, ipse persolvit.⁵

CLXXII. Athenienses legationem ad Philippum miserant. Eam benigne auditam ut humaniter dimitteret, iussit dicere qua in re gratificari posset Atheniensibus. Hic Demochares excipiens, “Si te ipse,” inquit, “suspendas.” At rex: “Renuntiate Atheniensibus multo superbiores esse qui ista dicunt quam qui placide dicta audiunt.

CLXXIII. Antigonus rex Thrasillo Cynico petenti drachmam, “Non est,” inquit, “munus regium.” Cynico subiciente: “Talentum igitur da.” “Non est,” inquit, “Cynicum accipere tale munus.”⁶

CLXXIV. Antagoram poetam in tentorio coquentem congrum versantemque patellam deprehendit Antigonus dixitque: “Putasne, Antagora, Homerum, cum Agamemnonis res gestas scriberet, coxisse congrum?” Contra haec Antagoras: “Et tu, rex, credis, Agamemnonem, cum talia gereret, fuisse curiosum si quis in exercitu congrum coqueret?”⁷

CLXXV. Idem cum accepisset scriptum praegrans litteris, “Hae,” inquit, “vel caeco perspicuae sunt.” Erat ipse luscus.⁸

CLXXVI. C. Popilius, qui iurisperitus videri volebat, citatus in controversiâ quadam testis respondit se nihil scire. Tum Cicero, “Putas,” inquit, “fortassis te de iure interrogari.”⁹

CLXXVII. Post Pharsalicum conflictum cum fugisset Pompeius, Nonius quidam dicebat septem aquilas¹⁰ superesse, bono proinde essent animo. “Recte,” inquit, Cicero, “hortareris, si nobis cum graculis bellum esset.”¹¹

CLXXVIII. Cum Cicero in Pompeii castra venisset, dicentibus, “Sero venisti.” “Minime,” inquit, “sero, nam nihil adhuc apparatus video.”

¹ Plut. Mor. 178A

² Plut. Mor. 178B

³ Umbrae sunt convivae haud invitati.

⁴ Plut. Mor. 178D-E

⁵ Plut. Mor. 178F; cp. Val. Max. 6.2 ext. 1

⁶ Plut. Mor. 182E

⁷ Plut. Mor. 182F

⁸ Plut. Mor. 633C

⁹ Plut. Mor. 205B

¹⁰ vexillae

¹¹ Plut. Mor. 205E

CLXXIX. Idem obicientibus, quod a reo pecuniam accepisset, qua magnificas aedes empturus esset, “Fatebor,” ait, “accepisse me, si emero.” Eas deinde cum esset mercatus, opprobrantibus vanitatem, “An nescitis,” inquit, “boni patrisfamilias esse, dissimulare si quid emere constituerit?”

CLXXX. Cum M. Crassum pro rostris laudasset Cicero magno populi applausu, et eundem post ex eodem loco acribus conviciis incesseret, “Quid?” ait Crassus. “Non me nuper ex hoc ipso loco laudasti?” “Laudavi,” inquit, “sed exercendi gratiâ argumentum infame declamans.” Solent rhetores tractare materias steriles, veluti cum laudant Busiridem aut febrim quartanam.

CLXXXI. In Vatinium, qui scrophas¹ habebat in cervice, cum causam quandam ageret, “Tumidum,” inquit Cicero, “habemus oratorem.”

CLXXXII. Cum M. Appius in prooemio diceret se magnopere rogatum ab amico ut in causâ clientis adhiberet curam, eloquentiam, et fidem, hîc Cicero: “Adeone ferreus es ut ex tam multis, quae rogavit amicus, nihil praestes?”

CLXXXIII. Celebre est Pythae dictum: orationes Demosthenis olere lucernam, i.e. nimis meditata et elucubrata esse. In id cum alius, furti suspicione laborans, petulantius inveheretur, “Scio,” inquit Demosthenes, “nos tibi molestos esse, qui noctu lucernam accendimus.”²

CLXXXIV. Idem adversus Demadem clamantem, “Demosthenes me corrigere vult. Sus Minervam!” “At ista,” inquit, “Minerva anno superiore in adulterio deprehensa fuit.”³

CLXXXV. Ancilla quaedam depositi nomine pecuniam acceperat a duobus, hac condicione ut eam utrisque simul redderet. Horum alter post tempus aliquod lugubri veste socii mortem simulans deceptâ muliere nummos abstulit. Venit mox alter itidemque repetiit depositum. Mulier cum anxia cogitaret de laqueo, Demosthenes patronus sic aggressus est petiorem. “Mulier,” inquit, “parata est depositi fidem exhibere, sed nisi socium adduxeris, non potest, quoniam (ut ipse praedicas) haec dicta lex est ne pecunia alteri sine altero numeretur.” Sic ars elusa est arte.⁴

CLXXXVI. Hospes quidam aiebat se velle cum Dionysio rege privatim colloqui; demonstraturum enim quomodo posset praescire quinam ipsi molirentur insidias. Rex admisit hominem, remotis arbitris. At ille, “Da mihi,” inquit, “talentum ut existimeris a me audisse (quod magnopere tibi conducit) insidiatorum indicia.” Dedit ac simulavit se audisse tyrannus, miratus hominis commentum.⁵

CLXXXVII. Egregium citharoedum magnificis promissis ad se pellexit iubens quam optime canere. Nam quo scitius caneret, hoc plus laturum praemii. Cum ille per dies aliquot accurate cecinisset nec quicquam daret rex, coepit flagitare mercedem. Dionysius asseverat se mercedem, quam pollicitus fuerat, bonâ fide exsolvisse. “Quî?” inquit ille. “Ne nummum quidem accepi.” “At dedi,” inquit, voluptatem pro voluptate. Neque enim ego te minus delectavi spe quam tu me cantu.”⁶

CLXXXVIII. Iovi Olympio detraxit amiculum aureum magni ponderis, quo eum Hieron e manubiis Carthaginensium ornaverat, proque aureo laneum illi pallium iniecit cavillatus: aureum amiculum aestate grave, hieme frigidum, laneum vero ad utrumque anni tempus accommodatius esse.⁷

¹ scrofulas

² Plut. Mor. 803C-D

³ Plut. Mor. 803D

⁴ Val. Max. 7.3 ext. 5

⁵ Plut. Mor. 175F-176A

⁶ Plut. Mor. 41D-E

⁷ Cic. Nat. Deorum 3.83

CLXXXIX. Epidauri Aesculapio barbam auream dempsit, quod negaret decorum patrem Apollinem imberbem, ipsum vero barbatum conspici.¹

CXC. Mensas aureas atque aereas Bonis Diis dicatas e fanis sustulit, causatus se Deorum bonitate uti.²

CXCI. Idem Victorias aureas, pateras, et coronas, quas Deorum simulacra porrectis manibus sustinebant, quasi offerrent, abstulit dicens se vero oblata accipere.³

CXCII. Quidam canescens ab Hadriano Caesare quippiam petierat, sed repulsus est. Is cum aliquanto post idem peteret, sed capillitio nigro, Caesar agnoscens faciem et dolum: “Tam istud,” inquit, “negavi patri tuo.”⁴

CXCIII. Cum Antoninus Caracallus ambitiose sibi multa cognomina assereret—Germanici, Parthici, Arabici, Alemanici—Helvius Pertinax belle iocatus fertur: “Adde etiam, si placet, Geticus.” Nam Getam fratrem occiderat.⁵

CXCIV. Bassianus praefectus suadebat Caracallo ut, ad mitigandam parricidii invidiam, fratrem Getam appellaret divum. “Sit,” inquit ille, “divus, dum non sit vivus.”⁶

CXCV. Heliogabalo cum quidam luxum eius notans diceret: “Non times ne fias pauper?” “Quid,” inquit, “melius quam ut ipse mihi heres sim et uxori meae?”⁷

CXCVI. Cum taurus ingens in arenam esset missus prodissetque ad eum feriendum venator neque productum decies potuisset occidere, Gallienus coronam venatori misit. Mussitantibus cunctis quid rei esset, quod homo ignavissimus coronaretur, Caesar per curionem dici iussit: “Taurum toties non ferire difficile est.” Nec iniuste videri potest tulisse coronam, qui pugnaci tauro toties occurrit.⁸

CXCVII. Quidam uxori Gallieni gemmas vitreas pro veris vendiderat. Re compertâ mulier flagitavit vindictam. Caesar iussit hominem corripere quasi leoni obiecturus. Inde in caveam, dum impostor iuxta et populus expectant terribilem leonem, prosiluit capus. Cunctis rem adeo ridiculam mirantibus, per curionem proclamavit: “Imposturam fecit et passus est.”⁹

CXCVIII. Firmus Imperator vini patientissimus fuisse legitur citra ebrietatem. Quondam a Barbaro vexillario provocatus ad bibendum, duas vini situlas hausit et postea convivatus mansit sobrius. Dicenti Barbaro, “Cur non et faecem ebibisti?” “Stulte,” inquit, “terra non bibitur.”¹⁰

CXCIX. Seni Philemoni paratas ficus et in conspectu eius positas asellus comedebat. Puer inelamatus ut asinum abigeret sero venit. Itaque consumptis omnibus, “Quoniam,” inquit senex, “tam tardus fuisti, da nunc merum asello.” Ex hoc ipsius sermone obortus homini risus miserum praefocavit.¹¹

CC. Servus quidam interrogatus quid ageret dominus, “Expectat,” ait, “donec vinum fiat acidum.” Erat quippe tam parcus, ut non prius daret vinum, quam acuisset.

CCI. Aegyptius baiulus gestans quiddam velis opertum cuidam sciscitanti, quid portaret, “Ideo,” inquit, “obvelatum est ne scires.”

¹ Cic. Nat. Deorum 3.83

² Cic. Nat. Deorum 3.84

³ Cic. Nat. Deorum 3.84

⁴ Hist. Aug. 1.20.8

⁵ Hist. Aug. 14.6.6

⁶ Hist. Aug. 14.2.8

⁷ Hist. Aug. 17.31.2

⁸ Hist. Aug. 23.12.5

⁹ Hist. Aug. 23.12.5

¹⁰ Hist. Aug. 29.4.4

¹¹ Val. Max. 9.12 ext. 6

CCII. Quidam somniarat se videre ovum ex lecti cubicularis fascia pendens. Id somnium rettulit ad coniectorem. Is iussit eo loco fodere; defossum enim subesse thesaurum. Fodit et invenit et argenti paulum dedit coniectori, de auro dissimulans. Tum coniector: “Quid? Nihilne de vitello?”

CCIII. Romulus ad cenam vocatus, cum ibi minimum bibisset eo quod postridie negotium haberet, dicunt illi familiares: “Si ad istum modum bibant omnes, vinum fuerit vilius.” Respondit ille: “Immo vero carius si, quantum quisque velit, bibat; nam ego bibi quantum volui.”

CCIV. Scipio Nasica cum aedilitatem curulem adolescens peteret atque, ut candidati solent, manum cuiusdam plebeii opere duratam prensaret, rogavit hominem num manibus ambularet? Hoc dicto rusticanae tribûs homines, suspicati exprobratam sibi paupertatem, effecerunt ut repulsam ferret.¹

CCV. Populus Romanus, Carbone pollicente quippiam et addente iusiurandum, vicissim iuravit se illi non credere.²

CCVI. Testio Penario mos erat in dicendo mentum intorquere. Is cum adversarium urgeret ut diceret si quid vellet, “Dicam,” inquit, “si nucem fregeris.”

CCVII. Alexander Magnus statuerat Lampsacum diruere. Ad id tendenti cum Anaximenes, Alexandri praeceptor, veniret obviam deprecaturus civitatis suae perniciem, Alexander suspicans quid vellet, “Iuro,” inquit, “me non facturum quod petet Anaximenes.” Tum Anaximenes: “Peto ut Lampsacum diruas.” Captus Alexander.

CCVIII. Idem rex consulto oraculo monitus est ut eum, qui sibi portam egresso primus occurrisset, immolaret. Occurrit agaso, iussus est arripi. Negavit hic immolandum se, sed asinum; nam hunc priorem occurrisse.

CCIX. Stratonicus cum duceretur ad Antigonum regem atque hi, qui ducebant, iuberent hominem bono esse animo; fore enim incolumen simul atque venisset ad oculos regis, “Omnem,” inquit, “spem salutis mihi adimitis.” Momordit regem quod luscus esset. Rex audito ioco iussit hominem agi in crucem.

CCX. Melanthius, Alexandri Pheraei parasitus, interrogatus quomodo fuisset interfectus Alexander: “Per coxam,” inquit, “in meum ventrem.”³

CCXI. Clisophus Atheniensis adulator Philippo increpanti quod semper aliquid peteret pessime respondit: “Obliviscor.”

CCXII. Bithys parasitus, cum Lysimachus, rex avarus, vesti ipsius curasset affigendum scorpionum ligneum affabre factum, perturbatus resiluit. Ridentibus omnibus, ut dolum sensit, “Et ego,” inquit, “te vicissim terrebo, rex.” Iussus id facere, “Da mihi,” inquit, “talentum.”⁴

CCXIII. Quidam solitus nigros panes inferre in convivium, cum alius intulisset nigriores, dixit: “Illum non inferre panes, sed panum umbras.” Alius apposito atro pane exclamavit: “Fieri tenebras.”

CCXIV. Quidam deciderat in profundum puteum. Eum cum vidisset alius, “Miser,” ait, “quomodo in puteum decidisti?” Tum ille: “Quid refert quomodo inciderim? Quomodo educi possim quaere.”

CCXV. Quidam diu nugatus apud Aristotelem tandem dixit: “Fortassis obstrepto tibi nugis meis.” At ille, “Minime,” inquit, “neque enim adverti animum.”

¹ Val. Max. 7.5.2

² Plut. Mor. 801B

³ Plut. Mor. 50D; Alexander Pheraeus hastâ perfossus est per ventrem.

⁴ Athen. 6.246E, Plut. Mor. 633B

CCXVI. Polemoni¹ cum articuli morbo lapidescerent dicebat: “Comedendum est, manus non habeo. Ambulandum est, pedes non habeo. Dolendum est, et manus habeo et pedes.”

CCXVII. Gorgiae sophistae Xenophon quidam invidens movit quaestionem: “Dic mihi, Gorgia, quamobrem fabae ventrem inflent, cum non inflent ignem?” Ad quem placide Gorgias: “Tibi istuc dispiciendum relinquo. Veterum iam olim cognitum habeo terram adversus istiusmodi homines producere ferulas.”

CCXVIII. Valentinianus nondum Imperator templum Fortunae ingrediens cum Iuliano, hinc atque hinc stantibus aedituis qui aquam introeuntibus aspergerent, ubi vidit in chlamyde purpureâ guttam aquae, pugno percussit aedituum: “Hoc,” inquit, “non est purificare, sed inquinare.”

CCXIX. Romae in foro pendebat tabula, imaginem praeferens pastoris vetuli cum pedo. De hac Teuto rogatus quanti eam aestimaret respondit se nec donari sibi velle talem vivum ac verum. Inanem credidit artem sine utilitate.

CCXX. Tiberius Caesar Attilio Butae, viro praetorio, cum per socordiam et luxum ad inopiam redactus fateretur ac deploraret paupertatem suam, “Sero,” inquit, “experrectus es.”

CCXXI. Galba tamen parasitus obicientibus quod in otio viveret, “Nemo,” inquit, “cogitur ad reddendam otii sui rationem.” Et praestat sane nihil agere quam male agere. “Sed homines,” ait ille, “nihil agendo male agere discunt.”

CCXXII. Athleta reprehensus a Sophista lapidem incussit eius capiti, ita ut sanguis ex vulnere proflueret. Id factum indigne ferentes qui viderant hortabantur adire proconsulem. “Nequaquam,” ait saucius, “o viri, ad proconsulem, sed ad medicum potius.”

CCXXIII. Physico quodam multa de Antipodibus disserente, ostensis Demonax in puteo umbris rogavit num illos Antipodas diceret?²

CCXXIV. Demonax cum legatus navigaturus in Asiam conscendisset navem et interrogaretur num metueret ne naufragio eiectus a piscibus devoraretur, “Quid,” inquit, “metuam a piscibus, qui tot pisces devoraverim?”³

CCXXV. Cuidam, qui in purpurâ se insolentius ostentabat, dixit in aurem: “Heus tu, hoc dudum gestabat ovis, et ovis erat.”⁴

CCXXVI. Rogatus Demonax an philosophus etiam placentis vesceretur. “Quid,” inquit, “an tu putas apes stultis tantummodo mellificare?”⁵

CCXXVII. Epicteto caelibis suadenti ut uxorem duceret neque enim id indignum esse philosopho, “Da mihi,” inquit, “unam e filiabus tuis.”

CCXXVIII. Proculeius querebatur de filio, quod expectaret mortem patris, cumque filius respondisset: “Ego vero non expecto.” “Immo,” ait, “rogo ut expectes.”

CCXXIX. A convivio discedens quidam et rogatus cur tam propere abiret, occupatum se dixit—vino scilicet.

CCXXX. Quaesivit aliquis ex architecto quo transferri vellet vetus rudus. “Scrobs,” inquit, “fodienda in quam coniciatur.” Pergit alter: “At egestam scrobe terram quo condemus?” “Stulte,” inquit, “scrobs efficienda est tam ampla ut et rudus et egestam terram capiat.”

CCXXXI. Non absimilis huic ille qui molam inaedificavit monti. Eâ perfectâ cum rogaret quidam: “Unde autem arcessemus aquam, molae animam?” “Papae,” inquit, “non cogitaram de aquâ.”

¹ Antonius Polemon sophistes, A.D. 88-144

² Lucianus Dem. 22

³ Lucianus Dem. 35

⁴ Lucianus Dem. 41

⁵ Lucianus Dem. 52; placentae erant mellitae.

CCXXXII. Archiepiscopus Florentinus Cardinali Alexandrino duo esse dicebat homini data, corpus et substantiam: hanc affligi ab advocatis, illam a medicis. Respondit cardinalis: “Non mirum igitur si paucos videas advocatos litigantes et medicos utentes medicinâ.”

CCXXXIII. Litem habuit rusticus cum cive. Advocaturus igitur causae patronum, hominem quo plurimum fidebat, cum aliquoties accederet, oclusas semper fores repperit. Quas expugnaturus admovit agnum. Cuius audito balatu, ilico patuit ianua, et ipse quod voluerat obtinuit. Conversus itaque ad agnum, “Relinquo te,” inquit, “comes, tibi que grates ago de tam prospero negotii successu.” Quidam memorant eum non reliquisse munus sed ostendisse tantum, et consilium dolo abstulisse.

CCXXXIV. M. Terentius Varro auctor est convivas intra numerum Gratiarum et Musarum debere consistere. Praebens ita convivium, ut accumbere amicos iussit, aequo plures sensit adesse. Scurra quippe nec rogatus accesserat. Quem cum ablegare vellet servus, “Erras,” inquit. “Numerum rursus inito, atque a me incipito. Non superesse me intelleges.”

CCXXXV. Invitatus a nonnullis miles sapiens ut terram quandam Italiae unâ cum ipsis ingrederetur ac praesidio teneret, dixit: “Quid si repetat eam armis dominus, quis succurret nobis?” “Rex Galliae,” responderunt. Tunc enisus est in montem, et ter magnâ voce regem Galliae inclamavit. Quo responsum non reddente, negavit commissurum se vitam ei loco, ex quo clamantem audire non possit qui auxilium debeat. Ingressi sunt reliqui, expugnati a domino et obtruncati.

CCXXXVI. Iulio Neapolitano famulus erat paulo tardior, eoque illum appellabat stultorum regem. Irritatus saepe miser hoc convicio tandem reclamavit: “Utinam essem rex stultorum! Nemo me latius imperaret, et tu quidem, ere, servorum primus esses.”

CCXXXVII. Luscus uxorem ducens, quam credebat virginem, vitiatam repperit. Questus ergo vehementer de iniuriâ responsum tulit: “Quare tu me vis integram, quem deficit oculus?” “Ab inimicis,” ait vir, “hoc damnum tuli.” “Et ego,” inquit illa, “ab amicis.”¹

CCXXXVIII. Thomas Morus, Angliae Cancellarius, adversatus regi Henrico VIII, qui volebat esse caput Ecclesiae Anglicanae, iuebatur aut mutare sententiam aut expectare mortem. Appetente supplicii tempore, monitus a rege de paenitentiâ consilii: “Immo,” ait ad legatum, “mutavi mentem. Nam cum in animo mihi esset barbam radere priusquam morerer, nunc barbam simul atque caput deponere statui.”

CCXXIX. Rogatus Iudaeus si nummos centum inveniret die sabbati, an esset sublaturus, “Nec sabbatum,” inquit, “nec nummi adsunt.”

CCXL. Laurentius Gualterottus, consultus de Doctore quodam iuris Florentino an sufficeret causis, “Necessitati,” inquit, “similem puto.” Mirante qui interrogaverat subiunxit: “Nescit enim leges.”

CCXLI. Alphonsus Dux Ferrariae senior litteras confici iubebat ad procerum quendam. Requisivit igitur, qui erat a secretis eius, ecquam titulum viro assignaret. “Magnificum,” inquit, “Dominum voca.” “Parum est,” subiecit ille. “Illustrem,” inquit, “voca.” Et hoc parum esse visum. Dux ergo subiratus: “Dominum Deum appellato.”²

CCXLII. Dominicus Cigolus cum concessisset Romam, paulo post accepit nuntium obiisse eius uxorem. Qua re nimium quantum gaudens, subito factus est sacerdos et impetravit curam pagi sui. Illo cum venisset, neminem prius vidit quam invisam uxorem.

CCXLIII. Tarquinius Abbatonius centurio meridiabat in lectulo. Supervenit miles a ludo recens et anhelans. “O vir optime,” inquit, “dormis? Vellem mutuos mihi dares decem nummos incidendo ludo.” “Ego vero,” inquit vir optimus, “dormio.”

¹ cp. Bebel, *Facetiae* 2.6

² Alphonsus Dux Ferrariae regnavit annis 1505-1534. In proelio apud Ravennam certavit – vide facetiam CCLII^{am}.

CCXLIV. Laurentius Medices oratus ut faveret nescio cui in electione magistratuum, eo quod tam obsequentem habiturus esset ut impetrare ab eo posset cyathum vini quicquid vellet. “Quid autem,” inquit, “si alius offerret ei vini lagenam?”

CCXLV. Bernhardus, patricius Venetus, cum Patavii litasset Genio in cauponâ, paravit abitum non dato symbolo. Petente igitur caupone excandefactus, “A me,” inquit, “petere audes, bellua? Patavium nonne est nostrum?” “Sane quidem,” ait caupo, “sed pecunia nostra est.”

CCXLVI. Christophorus Placentinus, genere et ingenio quam opibus praestantior, repertis in domo suâ nocturnis furibus, “Quid vultis vobis,” inquit, “miseri? Aut quid in hac domo noctu quaeritis, ubi ego nec meridiano quicquam invenio?”¹

CCXLVII. Amantem suum patrimonio emunxerat meretrix. Urbe igitur cedentem aeris alieni causâ prosecuta est lacrimis. Sciscitante lenâ cur tam perditae fletet, “Quia pallium,” inquit, “fugienti reliqui.”

CCXLVIII. Orto bello inter duos praepotentes cum in longum multi metuerent, dux quidam belli, non facetus minus quam prudens, “Nihil,” inquit, “est periculi. Nam potentes movent bellum stulto affectu, cum abundant pecuniâ. Quâ exhaustâ, ineunt foedera ac paces, etiamsi nihil eorum rerum sit transactum propter quas ad arma ventum est.” Et sic evenit isto bello. Itaque non absurde Virgilius bellantes comparat iuvenis. Horatio bellum videbatur regum delirium in civicam desinens perniciem. Et pro satyrâ potest accipi quod Homerus de insanientium ranarum atque murium pugna, grato Diis spectaculo, lusit.²

CCXLIX. Comestabilis regis Galliae Francisci dixit cum Imperator Carolus esset in provinciâ Narbonensi duplex se gessisse bellum, unum cum rege suo, qui statim voluit dimicare, alterum cum Imperatore ut eum falleret.³

CCL. In conventu Augustano olim etiam legatio fuit Hungarica petivitque auxilium adversus Turcas. Sed neglegebatur ipsorum querela, et unus optimatum pessime dicebat: “Hactenus bellum Turcis fuit cum rubris ocreis. Quando perveniet ad nigras, apparituri sunt homines multo fortiores.”

CCLI. Cum Veneti Maximiliano Imperatori bellum indicerent, legatus usus est antiquâ Romanorum formulâ: “Senatus populusque Venetus bellum indicit Maximiliano.”

Respondisse fertur Imperator: “Ite et gerite bellum simili stultitiâ, qua indixistis.”

CCLII. Ingens pugna facta est ad Ravennam, ubi Iulius Pontifex instructus fuit lectissimo exercitu Helvetico, Italico, et Hispanico, quo bellum intentabat Maximiliano Caesari et Ludovico Gallo. Prior, re cognitâ, misit Langium Cardinalem Salisburgensem ad Pontificem de pace. Qui cum diu Romae nequicquam egisset, animose tandem ait Pontifici:

“Sanctissime pater, pax aut bellum.” Elegit ille bellum. Langius, quasi Pegaso, ad Maximilianum cum responso volat. In viâ docetur iam commissam esse pugnam ad Ravennam, victum Pontificis exercitum. Ibi Pontifex e viâ revocat Langium missis insuper muneribus. E quibus Cardinalis salse retinuit salinum, remisit cetera.⁴

CCLIII. Princeps quidam animosior, cum vellet incipere bellum, dicitabat: “Aut aliquid aut nihil.” Respondit unus ex consiliariis: “Tam es aliquid, Domine. At, si velis, nullo negotio nihil fias.”

¹ cp. Bebel, *Facetiae* 1.32, sine nomine

² Ver. Aen. 3.247, Hor. C. 3.24.26 (nisi fallor)

³ Comestabilis erat Anna Mommorantius (vulgo Anne de Montmorency) dux praeclarus et consiliarius Regis Francisci Primi.

⁴ Certaverunt apud Ravennam anno 1512^o Pontifex Iulius II, Imperator Maximilianus, Rex Galliae Ludovicus XII, Helvetii, Hispani. “Langium” est Matthaëus Lang, Cardinalis Salisburgensis (vulgo Salzburg) et consiliarius Maximiliano.

CCLIV. Quidam bellum gerens cum Antistite Moguntino, cum vindemiam conveherent cives, exquirebat diligenter cuius esset vinum. Quod si respondebatur esse Capituli, praedam duxit. Sin diceretur huius vel illius esse Canonici, respondit: "Hic est meus amicus," intactumque dimittens addidit hoc usitatum sibi proverbium: "Domini quidem singuli probi sunt, sed Capitulum est nequam."

CCLV. Amiserat quidam Romae quinque capellas, quas suspicabatur vicinum suum furto abstulisse. Accusat igitur conducto causidico. Is in foro arcessitis ambagibus dicere de bello Punico, de Scipionibus, et Hannibale, eorumque gestis atque ingeniis. Adstans actor vultu tristi, victâ tamen patientiâ, "Quaeso," inquit, "dicas etiam aliquid de meis capellis."

CCLVI. Guilielmus Dux Bavariae convivam duxerat quem Mareschallus honorifice locare voluit. Ille autem cum diu repugnaret, offensus tandem Mareschallus rusticâ hominis modestiâ, tradidit ipsi baculum inquires: "Si tu Mareschallus es, ipse te loca ubicumque vis."

CCLVII. Quidam puellae obtulit chrysomela rogans an id pomi genus saepius vidisset. Respondit illa, ne ignara putaretur: "Quidni? Vidi saepe assata."

CCLVIII. Narrabatur cuidam de Carolo Magno illum semel totum anserem comedisse. Contra haec ille: "Dii boni, quoties ego totum, praeter alia, devoravi! Quidni igitur hic dicendus heros maior Carolo?"

CCLIX. Aulicum sic fertur allocutus rex Poloniae: "Oportet te cras ire mecum in venationem." Ille contra: "Non oportet, Domine." Et rex: "Obloqueris?" Rursus ille: "Non oportet, quia libens faciam."

CCLX. Romae legatus quidam mittendus in Germaniam oravit amicum suum Germanum ut patriae mores se doceret, ne agrestis plane haberetur. Suscipit Germanus: "Non possum te nunc edocere mores nostros, sed summam colligam doctrinae: Quicquid illi iusserint, tu recusato facere."

CCLXI. Bohemi, veterum insignium pertaesi, leonem clypeo a Frederico Barbarossâ impetraverant. Pinxit igitur leonem artifex, sed ita ut non satis appareret subiecta ventri cauda. Stomachantes ob id Bohemi, "Ubinam cauda?" inquirunt. "Simiae haec quidem, non leonis, imago est. Aquilam retinere praestiterit." Quod ubi Caesari relatum, in risum est effusus et, "Mederi," inquit, "facile est." Simul pingi leonem iussit non unâ tantum caudâ, sed duabus erectis insignem.

CCLXII. Fredericus Ciliae Comes interrogatus quid ei Roma (quam religionis causâ adierat) profuisset in pristinam nequitiam relapso, rettulisse dicitur: "Et sutor meus ad consuendas ocreas a Româ rediit."¹

CCLXIII. Iacobus Appianus, Plumbini dominus, cupidissimus liberorum, ut concubinam tandem gravidam sensit, maximo apparavit fastu, quae flagitare res videbatur. Florentinos et Senenses praesumpto gaudio invitavit. Aethiopem tandem peperit mulier ex tibicinis Mauri adulterio. Sic ridiculus mus e monte.²

CCLXIV. Arragonii deiecto rege Ranimirum monachum in eius locum suffecerunt. Is equitandi tam fuit imperitus ut frenum ore apprehenderet. Armatus enim erat utraque manu. Riserunt equidem stultitiam proceres, at non impune. Interemptis enim reis insultavit dicto: "Nescit vulpecula quicum ludat."

CCLXV. Robertus, Normannorum Dux, cum in itinere Hierosolymitano vehi per invaletudinem non posset equo aut curru, humeris profanorum latus est. Dixit igitur a daemonibus se latum in caelum.

CCLXVI. Carolo IV Bohemiae rege divertente ex itinere ad Theodoricum quendam, arci modicae praefectum, cum non satis suppeteret cibi pro tot tantisque convivis, porcorum

¹ Fredericus II comes Ciliae (nomen Rom. Claudia Celeia, hodie Celje, urbs Sloveniae) mortuus est anno 1454^o.

² Plumbinus hodie est Piombino, oppidum Etruriae in Italia.

gregi aures atque caudas praecidi et coqui iussit, ipso incolumi grege. Quae urbanitas frugalitasque adeo regi placuit ut hominem statim aerario praeficeret.

CCLXVII. “Domi meae,” aiebat civis quidam Elverfeldensis, “sic vivitur ut in caelo.”

Mirantibus et in parte lautâ hominem putantibus inexpectatam dixit rationem: “Quoniam hîc, item ut in caelo, nec editur nec bibitur.” Paupertatem querebatur festivâ hac adumbratione.

CCLXVIII. Quidam, postquam per decennium legisset Vergilium, ignoravit utrum mas an femina fuisset Aeneas.

CCLXIX. Scholasticus spinacem comedens probavit quaesivitque ex quibus herbis praesens constaret spinax?

CCLXX. Sigismundum Imperatorem cum immodicis laudibus extulisset adulator, diis comparans immortalibus, praemii loco tulit alapam. Perturbatus igitur improviso ictu, “Quare me feris?” inquit. Et princeps: “Quare me mordes?”

CCLXXI. Eidem Imperatori in Constantiensi concilio¹ barbarismus exciderat: *schismam facere*. Admonitus proinde a Pontificis Nuntio, *schisma* esse generis neutrius, quaesivit quo auctore illud diceret? Responsum est: “Prisciano, Alexandro Gallo, et similibus.” “Quinam sunt illi?” perguit quaerere Caesar. “Viri docti,” inquit. “Nempe,” ait ille, “grammatici. Ast ego sum Imperator.”

CCLXXII. Scholasticus, amici effigiem conspicatus, tam feliciter expressam dicebat ut agniturus esset, etiam qui nunquam vidisset hominem.

CCLXXIII. Quidam gradibus deiectus, “Quid interest,” ait, “quomodo descenderim? Qui omnino descensus fui.”

CCLXXIV. Scholasticus e viciniâ petebat ignem, ardentem gerens lucernam.

CCLXXV. Quidam, cum appositae in diversorio essent carnes atrae et durae, e vestigio decurrit in stabulum ut sciret numnam salvus sibi esset mulus.

CCLXXVI. Alius acceperat litteras ad Henrici IV Navarrae regis matrem, cum mandato ut, priusquam illas traderet, oscularetur. Epistolam ergo traditurus improviso osculo invasit reginam.

CCLXXVII. Ianus Dousa instruxerat convivium, cui et Mylius, vir pernobilis, intererat et scholasticus quidam. Scholasticus, ut sedebat iuxta Dousam, quaesivit de Mylio quis esset. Ceterum et digito monstraverat Mylium, isque se notari per hoc senserat. Quamobrem Dousa, correcturus arte mendam, detorsit quaestionem ad cibum qui expositus erat in illâ mensae parte, quasi de hoc esset quaesitum, et respondit clare: “Est artocreas.” Extemplo scholasticus, arrepto cyatho, sic affatus est Mylium: “Domine Artocreas, propino Dominationi vestrae unum.”

CCLXXVIII. Praeligatis oculis ducebatur fur ad furcam. Cui cum nuntiaretur adesse virginem, quam si ducere uxorem vellet, poenam posset effugere, oravit ut aspicere liceret. Visâ igitur deformi facie, “Suspendar,” inquit. Nec moratus, ivit in crucem.

CCLXXIX. Princeps quidam Gallicus flamini curiali, cuius delectabatur facetiis, nec rogatus promisit ad cenam. Accepit flamen conditionem, si venire vellet princeps tanquam simia, non tanquam vulpes: sine caudâ videlicet, hoc est sine turbâ famulorum.

CCLXXX. In Angliâ quidam malae notae e carcere profugerat. Thomas itaque Morus, vocato custodiae praefecto, serio imperavit ut diligenter obseraret carcerem ne rediret illuc, qui evaserat.

CCLXXXI. Ducem Bironium, carcere et custodibus saeptum, cum nonnemo spe libertatis solaretur, “Non est verisimile,” ait, “tales aves ideo includi caveâ ut confestim emittantur.”²

¹ Concilium vocatum est annis 1514-18.

² Dux Bironius (vulgo Duc de Biron) anno 1602° decollatus est Lutetiae Parisiorum.

CCLXXXII. Diu quidam irritò sumptu agebat in aulâ negotium suum. Is aliquando, cum prodeambularet extra moenia, furem videns patibulo affixum, “O te felicem,” inquit, “cui nihil amplius cum aulâ sit negotii!”

CCLXXXIII. Improbi quidam discipuli praeceptorem deiecerant scalis. Rogante hunc aliquo quid tantum compendii ab istis ferret, quorum tam gravem mussitaret iniuriam, “Nihil hercle,” inquit, “fero praeter honorem.”

CCLXXXIV. A Pontifice nescio quid magni petiturus quidam erat. Quem cum non ante admitterent cubiculo praefecti quam dimidiam congiarii partem ipsis promisisset, poposcit ille Pontificem flagrorum ictus. Hos deinceps bonâ fide cum cubiculariis partitus est.¹

CCLXXXV. Iuvenis quidam praematurâ canitie interrogavit senem nondum canum qua de causâ id aetatis non canesceret, cum ipse multo iunior haberet canos. Reposuit senex: “Asini canescunt etiam in utero matris.” “Stulti vero,” inquit alter, “nunquam canescere dicuntur, quia curarum sunt exsortes.”

CCLXXXVI. Ad caminum consederat scholasticus cum virgine tantae garrulitatis ut non sentiret aduri sibi syrma. Tandem vero cum animadverteret ignique cederet, “Tam olim,” ait iuvenis, “adustionem videram, sed tibi veritus sum interloqui.”

CCLXXXVII. Lecessitus a cane quidam molestum occidit hastâ. Dominus tam fidi animalis rependi damnum aere voluit. Abnuente altero, pronuntiavit iudex inverti hastam, non pugnari cuspide oportuisse. “Id fecissem,” ait reus, “si me caudâ, non dentibus, petiisset canis.” Absolutus igitur non sine risu est a iudice.

CCLXXXVIII. Plurima quidam in carcere confessus erat delicta. Quem cum hortaretur advocatus ut recantaret omnia, hac enim lege liberatum iri ope suâ. “Absit,” inquit, “recantando meum contaminem honorem.” In furcam igitur actus est.

CCLXXXIX. Opprobraverat quidam tironi indiligentiam in studiis. Cui ille: “Eorum est studere litteris, qui ignorant eas.”

CCXC. Similis sapientia pueri, qui interrogatus quam putaret toto anno longissimam diem, “Ecquam aliam,” inquit, “quam quae brevissimam efficit noctem?”

CCXCI. Scholasticus in carcerem compactus arcis turrim speculabatur, sitam in undis, quae aestatis fervore quotidie decrescebant. At ille, opinatus turrim crescere, augmenti causam humori soli assignavit.

CCXCII. Quidam, supplicium capitis passurus, ut liceret ante bibere rogavit. Potestate factâ, cum videret praelibari potionem a carnifice, negavit se iam bibiturum ne maculam inureret honori suo.

CCXCIII. Iudex quidam sedebat in controversiâ testamentariâ. Qui cum litterarum satis esset rudis audiretque saepius memorari “defunctum,” hoc est testatorem, illud ipsissimum absentis cuiusdam nomen existimavit. Postulavit igitur acciri tandem defunctum, quo cognosci veritas queat.

CCXCIV. Marquardus Freherus² dictitabat: “Qui uxorem ducere cogitat, persuasissimum habebit eam imperium exercituram, sive vi, sive clam, sive precario.”

CCXCV. Dominicus Baudius³ iter ad lectiones publicas auspicari amabat a strenuo meri haustu. Gnari huius moris convictores statuebant ex ordine in mensâ, qua praetereundum erat, repleta mero pocilla. Ea renidente vultu contemplatus Baudius, antequam siccaret, solebat dicere: “Quis potest praeterire hos scopulos sine naufragio?”

¹ cp. Bebel, *Facetiae* 2.56

² Humanista saeculi septimi decimi

³ Batavus qui vixit 1561-1613, poeta, iurisperitus, scriptor rerum historicarum.

CCXCVI. Scholasticus ad testimonium citatus haec enuntiavit: “Iacebam dormiens. Nihilo setius audiebam actoris caput percuti a reo. Ceterum percusseritne graviter an leviter, ignoro.”¹

CCXCVII. Alius accusatus cum audiret a patrono adversarii sui aliquoties nominari “Bartolum” et “Baldum,” impatienter obstrepuit dicens: “Procul sunt falsi hi et obscuri testes, qui ne interfuerunt quidem rixae.”²

CCXCVIII. Messanae in Sicilia quinque mulieres simul quidam matrimonio secum iunxerat. Interrogatus igitur a iudice de causâ ductarum tot uxorum, “Feci,” inquit, “ut ex pluribus feminis unam bonam, si possem, invenirem.” Subridens praetor, “In alio,” ait, “orbe quaerendum tibi est, quod in hoc reperiri posse dubitas. Accingere ergo ocius itineri.”

CCXCIX. Philippus Morvillerius,³ Praeses Curiae Parisiensis, tempestate Caroli VII regis odium Curiae in se accenderat. Tanto magis summus illic praeses est a rege renuntiatus. Aliquo post tempore cum venisset in curiam ut impleret datam sedem, hunc ad modum orsus est: “Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli” (*Vulg. Ps.* 117:22). Respondit subito ex eodem Psalmo unus Senatorum, cui nomen Sancti Romani: “A Domino factum est illud, et est mirabile in oculis nostris” (117:23).

CCC. Postquam coiverat pax inter Gallos et Anglos, iamque miles horum praesidiarius discederet Calibus, scurra quidam Gallicus vociferans his verbis abeuntes prosecutus est: “Valete, bellatores Angli. Ecquando redibitis?” Hunc extemporali celeritate sic repressit Anglicus centurio: “Tum profecto, cum petulantia vestra iterum superabit nostram.”⁴

CCCI. Professor quidam artium in Academia Marpurgensi ad cenam vocaverat amicos praefinitâ horâ quartâ. Arbitrati horum aliqui se denuo rogatum iri, nec volentes cupide videri agere et ad cibum festinare, differunt adventum. Paterfamilias offensus morâ auspicatur cenam. Interpositâ horâ veniunt convivae, pulsant diu surdas fores. Prospiciens tandem ipse quaerit quinam essent. Respondit unus adesse invitatos ad cenam. Nihil minus refert ille: “Horâ quartâ expectavi quosdam. Hi iam epulantur mecum. Vobis nihil apparatus habeo.”

CCCII. Rusticus rustico dolorem, quem ex obitu coniugis eius ceperat, indicaturus hac verborum formâ usus est: “Dolet certe animo meo, mi vicine, quod uxor tua in coelum abiit.” Respondit alter pari humanitate: “Credo equidem et propterea, amice, ne id unquam accidat uxori tuae precor.”⁵

CCCIII. Cataphractam sibi quidam multo aere comparaverat. Eam igitur indutus ut experiretur quam esset habilis interrogavit bractearium an putaret laedi iam se a quoquam posse. Negante bracteario, “Multo minus,” ait, “ego quemquam laesero.”

CCCIV. Insimulatus caupo quod dilueret aquâ vinum, graviter hoc valde tulit. Sed egresso ut poculum elueret, hospitem unus pisciculos inseruit cantharo. E quo cum postmodum caupo infunderet, haesitans paululum culpam sponte fassus est.⁶

CCCV. Sacrificus obvio dicebat militi: “Pax tibi.” Offensus ille tali voto, “Et tibi,” inquit, “purgatorius sopiatur ignis.”

CCCVI. Quidam interrogatus quid esset Epiphania, nutriculum Christi fuisse putavit.

¹ cp. Bebel, *Facetiae* 2.98 “quidam Tubingensis”

² Bartolus et Baldus erat scriptores iurisperiti.

³ Saec. quinto decimo Philippe de Morvilliers primus erat praeses senatûs ab Carolo VII^o Lutetiae Parisiorum convocati (vulgo Parlement de Paris).

⁴ Anno 1558 Angli Calibus (vulgo Calais) discesserunt.

⁵ cp. Bebel, *Facetiae* 1.79

⁶ cp. Bebel, *Facetiae* 3.32. Multae sunt facetiae de vino diluto.

CCCVII. Magistellus quidam, cum enarraret ea quae de Melchisideco in Genesi prodita sunt, *Rex Salem panem ac vinum obtulit* (Vulgata Gen. 14:18), non animadvertens Salem esse nomen loci, multa de salis vi atque naturâ disseruit.

CCCVIII. Dux quidam Wirtembergicus in conventu Principum, cum disceptatio esset de ordine sedendi: "Collocate me sane post fornacem," inquit, "dum efficiamus id cuius ergo sumus in unum contracti."

CCCIX. Uxorem flumine mersam investigaturus maritus adverso flumine tetendit. Quod cum miraretur comes itineris negaretque eum unquam hac ratione inventurum, quod quaereret: "Semper," inquit, "contraria fuit. Dubium igitur non est, quin et nunc feratur motu contrario."¹

CCCX. Lutetiae Parisiorum interrogatus a Petro Ramo Magisterii candidatus quot esset caeli, diu multumque suspexit. Ad extremum haec locutus fertur: "Domine, ego credo quod sit tantum unus." Tum vero omnes risu emori et hortari infelicem disceret prius Grammaticam quam ad honores aspiraret.

CCCXI. Quidam nobili stirpe editus ac podagrosus rapi furem ad supplicium videns, exclamavit: "O iuvenis, quam vellem dari mihi pedes tuos!" Nihil cunctatus furcifer respondit: "Et mihi, Domine, vellem dari collum tuum."

CCCXII. Iacobus Henrichmannus de se ipso narrat, cum profectus hieme a viâ paulum deerrasset, acriter castigatum se a comite rustico his verbis: "Proh dedecus! Tu magister es artium, et viam nescis?"

FINIS

¹ Poggii *Facetiae* 60